

vacensem non putem eluctatum, et defunctum *Romae* a. 1230. tradit *Albericus* in *Chron.* p. 538. cum elogio. Alii Literatores mire silent de Viro cum *Petro Lombardo* doctrinae profunditate et soliditate comparando.

DLXV.

R. 923 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 178. f. per duas columnas nitidissime licet multis vocum compendiis exaratus, colore rubro viridique varius, et quondam Collegii S. J. *Viennae* ita praescribitur: *Incipit summa magistri Gillelmi altissiodorensis.* Corpus hoc theologicum *Libros IV, Sententiarum Petri Lombardi* sequens incipit: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sicut enim vera dilectione diligitur deus propter seipsum &c.* Objacet mihi ejus Editio *Parisiensis*, ut ad Codicem praecedentem jam commemoravi, e qua comperio, deperisse e Codice nostro Membranas a *Libri III. Traet. ult. Capituli de Judiciis* verbis: *Solutio. Non est simile propter duas causas. Una est —* De Autore ulterius monendum, confundi eum a *Miraeo, Oudino, Caveo* cum *Guilermo de Spelmiaco, Seligniaco, Scilligniaco, Galliae christ.* Autoribus *Sigilliaco* (*Seignelay?*) qui a. 1207. creatus Episcopus *Autissiodorensis*, et a. 1220. ad *Parisiensem* sedem traductus obiit a. 1223. ut videre est *Galliae christ.* T. XII. col. 300. et VII. col. 90. Nihil is scripsit.

Noster vero *Guilelmus*, ut jam dixi, ultra Archidiaconatum *Bellovacensem* eluctatus non videtur. Optime rem expedivit *Fabricius Bibl. med. Lat. L. VII. edit. Mansf.* p. 139. *Caveus* duplici titulo *Commentarii in 4. Libros Sententiarum, et Summae Theologicae* deceptus credi potest; de uno enim eodemque Libro agi suadet Editio, quam adfert, *Parisiensis* 1500. f. Vide *Vol. II. Basil.* 1745. p. 281. f. Alterius quoque *Guillemi*, seu *Wilbelmi Summa* supra Cod. DLXIII. occurrit.

DLXVI.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3144 XIII. sed a fol. 121. tardius subpletus, Folior. 151. 8. nitide scriptus, rubricis distinctus et olim *Fratrum Cartusien. prope Pragam*, inscribitur *Wilhelmus de fide et legibus.* Est is alias *Guilelmus Arvernus Ep. Parisinus* ab a. 1228. ad a. 1249. cujus *Opera omnia Parisiis II. Tomis* impressa extant a. 1674. f. Ibi chorum ducit *Traetatus* noster, quem e collatione in Codice nostro integrum reperimus. Prologus incipit: *In ordine sapientialium divinaliumque scientiarum istam divini cultus vereque religionis scientiam &c.* Lectio cum Editis bene conspirat. Transfiliit tamen Librarius mox sub principium totam *περικοπήν: Manifestum est huius — felicitatem eternam*, ubi observo, lapsum Scriptoribus familiarem, quando binae *περικοπαι* iisdem vocibus terminantur, alteram transcurrere, uti

uti hic contigit; nam et praecedens *περιεχομενη* in τὸ *felicitatem eternam* definit. Ceterum sunt etiam, quae e Codice restituas. Ita v. g. non multo post pro *adeo vereque damnata est* legendum sane *adeo ubique damnata est*, et in Operis extremo pro *cultum istum interpretari* reponendum *decorem istum interpretari*.

DLXVII.

R. 3339 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 80. f. min. nitide exaratus, minio distinctus et initiis picturatis inscriptus est: *Incipit prologus Summe wilhelmi parisiensis de fide et legibus*. Initium est: *In ordine sapientialium diuinaliumque scientiarum &c.* Pars brevior de *Fide* ita init: *Incipiamus ergo cum dei adiutorio et dicamus. Quia fides quam hic stabilire intendimus &c.* Pars longior de *Legibus fol. 11.* ita: *Jam igitur expediuimus nos auxilio dei de his que proposueramus &c.* Adest *περιεχομενη* in Exemplo superiori omiffa, rite item legitur *adeo ubique pro adeo vereque*, sed in fine prave cum editis *cultum istum interpretari* pro *decorem istum*. Ad calcem: *Completus est cum dei laudibus Tractatus de fide et legibus domini wilhelmi (Arverni) Parisiensis. 1457.* Cum Indice exacto, post quem denuo: *Anno domini M°. CCCC°. LVII°. In die S. bonifacij martiris.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

DLXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 623 Folior. 184. f. probe scriptus et rubricis distinctus insignitur *Wilhelmus parisen. de sacramentis*. Post doctam magna fama Theologiam ad Infulas *Parifinas* adsumtus fuit *Guilelmus Alvernas* noster, easque morte posuit a. 1249. Inter praecipua ejus Opera, quae *Phil. Feronius* Canonicus *Carnot.* junctim *Aureliae* 1674. f. edidit, praefens est, quod incipit: *Cum inter sapientiales spiritualesque scientias, que diuine seu diuinales uocantur &c.* et finit: *Gracias tamen largitori omnium bonorum Deo agimus, si uel modicam occasionem, ut sapienciores fiant, sapientibus damus.* Addidit Librarius: *Explicit liber de sacramentis S. Wilhelmi quondam Episcopi Parisien.* sed induxit τὸ S. et minio *domini* adiecit. Lectio Textus probe conspirat cum Edit. *suprac. T. I. P. 2. p. 407.*

DLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 615 XIII. Folior. 278. f. maj. per duas columnas nitide, sed minuto et implexo caractere perscriptus, rubricis distinctus, et inter XVII. *Volumina*, quae *M. Andreas de Weytra*, ut jam et alibi memoratum est, ad *Librariam Collegij ducalis inter viuos* donauit, complectitur *Librum I. et II. Sententiarum* seu *Summae Alexandri de Hales* seu *Alensis O. M. dicti Parisiis Doctoris irrefragabilis* et a.

L

1245.